



# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

19 Vtrùm is, cui aliquid traditum est vendendum, poßit sibi aliquid ex pretio retinere, & emptam retinere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

vt id in quo facti sunt ditiores, pauperibus conferant. quia illud domino restitui deberet, detracta tamen industria & expensarum aestimatione. Vide supra cap. 14. Dub. 6. & 7.

Ad Tertiam, Qui emunt talia modo supradicto, nimirum cum illis circumstantiis quas exposuimus, non sunt participes criminis, nec fouent auctores in malo, cum plurimi emptores alij non sint defuturi, qui absque animo restituendi sint empturi. Prædictam sententiam expressè post hæc scripta deprehendi traditam à Molina disputatione 118. §. Illud postremò.

## DUBITATIO XIX.

*Utrum is, cui aliquid traditum est vendendum, possit sibi aliquid ex pretio retinere, si pluris vendiderit, quam ei est præscriptum.*

138  
Retinere  
ex pretio.

**R**espondeo non posse, si vel mercedem pro suo labore accipiet, vel erat in famulatu; vel si gratis hoc officium præstandum suscepit. ratio est, quia non habet vllum legitimum titulum, quo possit sibi aliquid ex pretio usurpare. non enim ratione rei venditæ, cum hæc non sit ipsius; nec ratione industriae vel ministerij, quia pro ea mercedem accipit; vel si erat in ministerio, tenebatur sine mercede. Ita Siluester ex Archidiacono verb. Emptio, q. 24. & alij. Nec obstat, quòd dominus rei vendendæ pretium determinauerit; quia id solum videtur fecisse ne venderetur infra, non autem ne supra, si fortè occasio ita ferret. Vnde eo ipso quo pluris fuit vendita, totum illud cessit domino.

139

Aduerte tamen, si talis famulus rem illam pretio à domino indicato sibi compararet, & postea suo nomine pluris venderet, non facturum contra iustitiam; ac proinde ad restitutionem obligatum non iri: quia eam iusto pretio à domino comparauit, & postea iusto pretio suo nomine vendidit. Nisi fortè dominus ei mandasset vt venderet quanti intra latitudinem iusti pretij vendi posset. quo casu teneat illam diligentiam præstare. quo facto, possit eam sibi vindicare eo pretio, quòd alij obtulerunt.

## DUBITATIO XX.

*Quando res in solidum ex interu. llo duobus fuit vendita, vtri debeat.*

**H**anc questionem tractat Couar. lib. 2. variar. resolut. cap. 19. ad quam breuiter

140  
Si neutri  
facta sit  
traditio.

Respondeo & Dico Primò, Si neutri sit tradita, debetur priori emptori. est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia res illa non poterat vendi secundo emptori, cum iam esset vendita: vnde nec potest ei tradi sine iniuria prioris: ergo ne fiat iniuria, tradenda est priori.

Si tradita  
secundo  
emptori.

Dico Secundò, Si tradita sit secundo emptori, priori autem solum vendita; debita est secundo. Est communis sententia Doctorum, vt docet Couar. supra, n. 1. & constat ex L. Quoties. 15. C. de rei vindicatione, in principio, & in fine, & L. Tra-

ditionibus. 20. C. de pactis. Ratio est, quia solo contractu absque traditione non transfertur dominium, nec acquiritur ius in re, (exceptis quibusdam casibus) sed præter contractum requiritur traditio, vt constat ex dictis legibus. qua de re vide supra cap. 3. Dub. 3. quòd non solum locum habet in contractu emptionis; sed etiam in promissione, donatione & similibus contractibus, imò etiam in locatione, vt docet idem Couar. n. 8. quia etsi conductor per traditionem rei conductæ non habeat dominium; habet tamen rei detentionem, à qua si expelleretur, ante omnia Iudicis officio restituendus esset: sicut is, qui possessione fuit spoliatus. Vnde iure detentionis se defendet contra primum conductorem, qui solum habet actionem personalem in locatorem. Nec refert, quòd contractus cum priore fuerit fortasse iuramento confirmatus; quia hoc quidem efficit vt sit periculosus, si alteri eam tradat; non tamen impedit dominij translationem, vt docet idem Couar. epitome de spons. p. 1. cap. 5. num. 9.

Habet locum  
in alijs con-  
tractibus.

Notandum tamen Primò, Hoc non procedere in iis euentis, quibus peculiari Iure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium: vt si aliquid venditum aut donatum sit Ecclesiis, locis pijs, vel ciuitatibus. iuxta L. fin. C. de sacros. Ecclesiis. tunc enim dominium transfertur per solum contractum: vnde non poterit secundus emptor vel donatarius per traditionem dominium acquirere: secus si res solum sit promissa; quia promissio facta pro loco, vel alteri, nõ transfert dominium, nec tribuit ius in re: vnde si res Ecclesiæ promissa, alteri donata & tradita fuerit, huius erit.

Secundò, Non habere etiam locum, quando prior emptori in securitatem contractus res fuit hypothecæ nomine subiecta: tunc enim secundus emptor per traditionem non poterit eius dominium comparare, vt docet Couar. supra num. 7. ex L. Si creditor. 13. §. fin. de distract. pignori: & ratio est, quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore.

Tertiò, Si secundus emptor mala fide egit, conscius nimirum prioris contractus, prior poterit ab eo rem euincere, tamquam in fraudem ipsius alienatam. Ita Glossa communiter recepta in cap. Si tibi absentis, in 6. Sponte tamen eam priori tradere non tenetur: nisi fortè induxerit emptorem, vt eam sibi venderet, quo casu est causa damni iniusta, quod prior per illam venditionem incurrit, iuxta ea quæ dicta sunt supra cap. 20. Dubit. 19. Si autem non fuit conscius, non poterit ab eo euinci, nisi fortè prior titulum emptionis vel alium onerosum habeat; secundus verò titulum donationis: tunc enim etsi secundus inscius fuerit prioris contractus, tamen prior poterit illam euincere, vt colligunt Doctores ex L. Ignoti. 5. C. de reuocandis his, quæ in fraudem creditorum. vide Couar. n. 5. Donatarius tamen non tenetur illam sponte tradere, sed solum si emptor illam intra tempus Iure constitutum exigar, iuxta ea quæ cap. illo 20. Dub. 19. diximus.

142  
Si mala fide  
de egit.

Dico Tertiò, Si vterque emptor affirmet rem sibi traditam fuisse, nec liquere possit vtri priori tradita fuerit; adiudicanda est priori. Ratio est, quia seclusa traditione, ius prioris est potius: ergo in dubio huic fauendum. Nisi fortè posterior numerauerit pretium, prior verò nihil: tunc enim præ-

143  
Si dubium  
sit vtri  
priori tradi-  
ditum.